


**05**

**A**

**1717**









DEMONSTRATIO  
THEOLOGICA,  
QUOD DEUS SE-  
RIO VELIT OMNES  
HOMINES SALVOS  
FIERI,

*Adjuvante DIVINA GRATIA,*  
in Academiâ WITTEBERGENSI  
*ad publicam disputationem*

proposita,  
à  
NICOLAO HUNNIO,  
SS. THEOL. D. ET P.P.

*Respondente*  
M. JOHANNÉ MICHAELIS  
WITTEBERGENSI,

*Ad diem 27. Decembris, in Auditoria majore, horis  
matutinis.*

WITTEBERGÆ,  
*Exscripta typis* CHRISTIANI THAM,  
ANNO MDCXXII

=1621







V I R I S

*Generoso, Magnificis, admodum Reverendis,  
Nobilissimis, Amplissimis & Consultissimis,*

Dn. SEBASTIANO FRIDERICO  
à Rötteris/ Hæreditario in Sitta/ &c. Sereniss. Ele-  
ctori Sax. à Consiliis, & Consistorii supre-  
mi Præsidi.

Dn. MATTHIÆ HOË ab Hœnegg S.S.  
Theolog. D. Com. Palat. Cæsareo, Aulae Dresdensis  
Concionatori Primario.

Dn. ÆGIDIO STRAUCHIO, S.S.  
Theolog. D. Ecclesiae Dresdensis ad S. Crucem Pastori,  
& vicinarum Superintendenti.

Dn. LEONHARTO KÖPPELIO,  
Jcto celeberrimo, Electori Saxoniae à Consiliis, ac  
Judicii Appellationum Adsessori.

Dn. PAULO NICOLAI, Jcto.

*Serenissimi Electoris Saxoniae Consiliariis*

*Ecclesiasticis, Dnn. Patronis, Promotoribus & Me-  
cœnatibus meis summo observantia cultu  
prosequendis,*

*Ἀπόδειξιν hanc Theologicam in subjectionis  
argumentum, gratitudinis monumentum,  
studiorumq; testamentum  
nuncupatam vult*

M. JOHANNES MICHAELIS  
Respond.



05 A 1717





# IN NOMINE JESU CHRISTI, AMEN.

DEMONSTRATIO  
THEOLOGICA

## Quòd Deus ferio velit, omnes homines salvos fieri.

I,



Rimum humanæ salutis principium, atq; fundamentum est DEI Φιλανθρωπία, gratia & misericordia, qua benignè commotus, hominum genus peccatis perditum, ideò sempiternam maledictionem promeritum in gratiam recepit, per

certa salutis media ad salutem vocare, ac perducere proposuit.

2. Hominum est, mente gratâ benevolentiam tantam acceptare; ut nihil magis temerarium sit, atq; impium, quam gratiam hanc aut in univèrsum negare, aut quæ, DEO dicente, amplissimè diffunditur, in angustias coarctare, & limitibus exigui cœtus salvandorum includere.

3. Nimium diu disceptatum fuit in Ecclesiâ, & multo conatu disceptatur hodie, Deum nequaquam dilexisse, aut misericordie affectu complexum fuisse totum hominum genus, & omnia illius individua, ut horum è peccato liberationem, & celestem benedictionem verè ac ferio voluerit, sed multò maximam hominum partem æternis cruciatibus ab æterno destinasse, ad quos salutifera Dei gratia nunquam ullo modo pertinuerit, quippe solis electis & salvandis propria.

4. Contradictum verò huic pernicioso dogmati, & asserta universalis Dei gratia, voluntas ac misericordia, per quam ipse

A 2

omnes



omnes homines salvos fieri serio planè affectu voluit, vult, & ad agnitionem veritatis venire, in filium propiciatorem credere, & æternum salvari, etiam nunc absq; fūco expetit.

5. Mentem hujus thesauri ita exponimus. I. Qualiter Deo tribuatur dilectio, *παρακλητικῶς* an *ἐνεργητικῶς*, operosè non laboramus; cum enim Deus ipse amorem sibi frequenter admodum tribuat, similitudine quadam, & analogiâ humano affectui dilectionis respondentem, termino isto utimur, non scrutantes temerè, quod in hac vita nullâ arte nos inventuros scimus, magis corde simplici acquiescimus, contenti usu ab ipso Deo nobis monstrato.

6. Interim, quantum ad hoc nostrum quæsitum, *dilectionem, misericordiam & voluntatem de salute omnium hominum, pro æquipollentibus habemus*, si non accurato vocum etymo, usu tamen sacro, & Ecclesiastico; ut quos Deus diligit, hos salvos fieri velit, quos vult salvos fieri, eos diligit, utrosq; amplectatur misericordiâ; hinc promiscuus terminorum usus jam diu obtinuit, quem observaturi, idem dictum volumus, per quemcunq; horum aliquid prolatum fuerit.

7. II. Dilectio sive voluntas distinguenda est à decreto. Etsi enim decretum etiam sit quædam voluntas Dei, quod tamen aliud velit usus, duo hæc commiscenda non sunt: Nam & in Republicâ vult magistratus omnibus civibus honestè & juxta leges viventibus benè esse, salutem patriæ, prudentiâ, labore & periculo defendentes, præmiis ornari, omnes verò legum violatores, ac facinorosos ad supplicia rapi, quamvis de nullo omnium civium, sive præmiis ornando, sive suppliciis afficiendo decreta fecerit: Et Deus non volens quenquam perire, volens autem omnium salutem, non tamen hoc ipso quicquam decernit de nullius interitu, & omnium salute. Ita nempe omne decretum voluntas est, sed non omnis voluntas decretum.

8. III. Distinguendi sunt gradus dilectionis, juxta quos aliquid de ea verè (diversimodè tamen) potest affirmari, & negari. Est enim dilectio I. *generalissima*, concernens omnes prorsus creaturas. Sap. 11. v. 25. *Diligis omnia quæ sunt, &*  
nihil



nihil odisti eorum, quæ fecisti. 2. *Generalis*, sic appellata, respectu specialium graduum, de quibus nunc dicetur; non autem generalissima, quatenus certum quoddam creaturarum genus concernit; est enim illa voluntas de hominibus solis & omnibus, sive de toto & unico genere humano, (nullo excluso, aut excepto individuo) ad salutem æternam reducendo, & per media huc ordinata salvando. *Joh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, &c.* 3. *Specialis*, complectens solos salvandos, sive electos, *Gal. 2. v. 20. Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* 4. *Singularis*, (liceat sic appellare) certis tantum electorum individuis propria, non vero illis omnibus communis; qualiter Johannes Evangelista perhibetur fuisse Domino Jesu singulariter dilectus, *Joh. 13. v. 23.* Et Lazarus hoc amore describitur, *Ecce, quem diligis, egrotat. Joh. 11. v. 3.* Non laboramus in *ζητήματι* controverso de ullo alio, quam secundo dilectionis gradu; an nimirum Deus, universum genus humanum, generali quodam amore, eoque salutifero diligat?

9. IV. Dilectio Dei, quæ vult salutem hominum, non est fucata, sed vera & sincera. Distinixerunt olim Scholastici voluntatem Dei in eam, quæ est *signi*, & quæ *beneplaciti*, quod Deus aliqua nobis revelaret, multa vero occultaret, unde *revelatam* vocarunt *signi*, *absconditam beneplaciti*; quo sensu sumpta distinctio, nihil habet incommodi, cum de objecto diverso enunciet, hoc quidem esse revelatum, illud autem occultum.

10. Alii aliò trahunt, & unum idemque subjectum utriusque voluntati tribuentes, dicunt, voluntatem Dei aliam esse *signi*, patefacientem, quidnam Deus circa hominum salutem fieri velit; aliam *beneplaciti*, retinentem occultum iudicium, quo Deus ea nolit, quæ signo, seu verbo se velle, & vicissim, ea velit, quæ signo, seu verbo, se nolle professus fuerat.

11. Exempli gratiâ; quando Deus testatur, *se nolle mortem peccatoris*, *Ezech. 33. v. 11.* est ea voluntas *signi*, quippe verbo, ut signo patefacta; huic se opponit alia voluntas, nempe *beneplaciti*, secundum quam Deus vult mortem peccatoris, quam voluntate *signi* non vult; Interitum Judæ volebat voluntate revelatâ, eundem volebat occultâ.



12. Ita sentit Beza, cujus rotundam & apertam confessi-  
onem hic placet adscribere: sic autem ille parte 2. Resp. ad Coll.  
Momp. pag. 174. 175. Hominum respectu fuit duplex voluntas, & quidem  
una, nempe signi seu patefacta, alteri arcana repugnans, quae non nisi ipso  
exitu apparuit. Quod ad Deum autem attinet, nunquam aliud voluit,  
nisi quod etiam fecit: sed quod nolebat factum, facturum se tamen dixit:  
non hypocritarum more, non mendacii specie, sed poenae comminationem,  
celatâ resipiscentiae conditione, denuntians, perinde, ac si poena esset semel  
decreta & immutabilis: eorum nempe bono, quos perdere nolebat iratus,  
ut sic per terrefactionem conscientiae viam sibi ad resipiscentiae donum recipi-  
endum iis ipsis patefaceret, quos arcana suâ voluntate servare resipiscentes  
decreverat. Idem est autem prorsus iudicandum, ubi è contrario voluit  
Dominus partim patefactâ, partim arcana, donec illam patefaceret, vo-  
luntate, iusta sua iudicia exercere, quarum una videtur alteri ex diametro  
repugnare. Sic sine distinctione, & simpliciter cum Abrahamo & ejus  
sobole pactus aperta & communi voluntate signi, Ismaelem beneplaciti  
voluntate repudiavit. Sic Esavum primogenitura quoque nascendi dona-  
tum, & ipsius sobolem benedictione foederis privavit. Sic denique multi  
communi praedicatione verbi & Sacramentorum externâ iam olim vocati  
sunt, & quotidie vocantur, ex quibus soli beneplacito salutari electi ser-  
vantur. Et hoc illud est quod hoc etiam in loco statuendum est, habitâ  
sive patris sive filii ut Dei loquentis ratione. Quò enim, nisi ad hanc ag-  
gregationem & salutem, Christi doctrina & opera auditores omnes &  
spectatores invitabant, si naturam illarum rerum, & quid ista vel invi-  
tis patefacerent, consideremus? At cur non omnes aggregare voluit?  
Nam si voluisset, certè illis omnibus fidem, quâ unâ oves omnes huic ca-  
piti adiunguntur, donasset: & si donasset, utique fuissent omnes aggre-  
gati. Cur igitur illos quoque non traxit? Certè quia hos noluit, qui  
nulli debitor est, trahere, idque voluntate occultâ, quod ipso tandem  
exitu patuit. Huic autem voluntati (quam & ipsam Filius tribuit è vdo-  
xici id est, beneplacito Patris) Matth. 11, 26. tantum abest ut repugnâ-  
rit Filius, omnes quidem indefinitè volens voluntate signi & apertâ ag-  
gregare, solos autem sibi à Patre datos ab iis passim discernens voluntate  
sui quoque beneplaciti: ut contra DEO Patri de hoc discrimine gratias  
agat, Matth. 11, 25. & pro iis non oret. Johan. 17, 9. & 16. quos etiam ut  
Deus



Deus noverat, Job. 6, 64. Duplex igitur fuit humano respectu hæc voluntas, una aperta, spectandam quidem potentiam & bonitatem Servatoris, & in doctrina & in operibus ipsius, sed natura simul, & adversus suam quoque conscientiam cæcis præbens: altera occulta, quam illi suo denique justo exitio sunt experti. At in Patre & Christo unica fuit voluntas, externa quidem illa præbitione ipsos convincendi, & magis ac magis omnem prætextum ignorantie illis adimendi: interius verò ipsos justè indurandi, ac tandem suâ ipsorum culpâ & impœnitentiâ arcanum de ipsis perdendum decretum reipsâ exequendi. Hieron. Zanch. part. 1. Misc. tom. 7. pag. 57. Duo hic sunt explicanda: & quòd DEUS omnes serìò vocet: Et quòd causa, cur Deus, cum omnes vocet, non omnibus tamen dat fidem, arcana sit & soli Deo nota: Ad primum quod attinet: quamquam illud serìò in Scripturis non invenio: non tamen damno, sed intelligo, (sicut intelligendum est) quoad voluntatem revelatam: quatenus scilicet externa Evangelii prædicatione, ita omnes ad se vocat Deus, ut neminem excludat Deus, neminiq; illudat, quasi verò aliquem vocet, quem postea si vocanti assentiatur, nolit ad se, & in gratiam suam recipere. Cæterum quoad arcanam voluntatem: non omnes eodem proposito, & in eundem finem à DEO vocari.

13. Satis expressè hic mentem suam declaravit, nec modò suam, sed communem doctrinam exposuit, quòd neq; collegarum neq; discipulorum quisquam ei contradixerit, utrosq; in ipso doctrinæ fundamento, ab illo tempore in hodiernum usque diem ἑξουσιασ, atq; defensores habuerit. Similia tamen inveniuntur apud Perkinsum lib. de libera Dei gratia, & libero hominis arbitrio, ubi prolixè admodum hanc distinctionem explicat. Tom. 1. Op. pag. 978. seq. inter alia multa, occasione sententiæ, Matth. 23. v. 27. Quoties volui te congregare, &c. ita differens. Si locum hunc cum Esa. 6. cap. v. 10. comparemus, repugnare sibi videbuntur. Hic enim Christus inquit, volui vos cogere; atq; illic: Eos indura, ne cogantur & convertantur. Videtur igitur Deus idem nolle & velle. Respondeo unam duntaxat in Deo voluntatem esse, non tamen ex æquo omnia velle, sed diverso respectu, unum idemque velle & nolle. Hierosolymorum conversionem vult, quatenus eam approbat, ut in se bonum: eatenus eam præcipit, ad eam homines adhortatur; & omnia externa conversionis me-

dia it-



dia illis donat. Eam non vult, quatenus eorum conversionem efficaciter operari non decrevit. Deus enim adprobat, & exigere potest multa, quae nihilominus justis de causis, sibi soli optimè notis, non vult.

14. Constat ex dictis, voluntatem Deo tribui contradictoriam, ut aliquid se velle signo ostendat, idem se nolle occulto decreto, & subsequente facto demonstrat; atq; exponunt hoc pluribus exempla sacrae Scripturae, huc ab illis allegata, paulò post producenda; sentiunt enim, Deum signo voluisse mactationem Isaaci, eandem beneplacito noluisse, signo velle ut nemo furetur, beneplacito velle ut aliquis furetur: signo voluisse Judaeorum conversionem, eandem beneplacito noluisse, &c.

15. Quicquid ergò dicant, & protestentur illi, se non statuerent voluntates in Deo contradicentes, facto sanè protestationem confutant, cum, quae diversâ voluntate Deus velle & nolle perhibetur, simul vera esse non possint; ideo negetur contradictoria voluntas, ejusdem tamen definitio expressè statuatur. Quisquis verò ita sentiat, sive Beza solus, sive totus aliquis coetus cum ipso faciens, opinionem illius ut impiam improbamus, & voluntatem Dei occultam ac revelatae oppositam hoc generali syllogismo explodimus:

16. *Quodcumq; dogma 1. idoneis argumentis non probatur. 2. Deo laudem veritatis adimit. 3. Scripturam sacram officio & autoritate, quâ ad docendum fidei necessaria, constituta & data fuit, exuit. 4. Fidem Christianam & salutiferam labefacit, illud e choro Ecclesiae est ejiciendum, tanquam pestiferum, & humanae salutis nocentissimum.*

17. Quae propositio manifestae veritatis est. Nam 1. ejus membrum inde solidum est, quia nullum dogma acceptandum, sed ex Ecclesia projiciendum, quod solido fundamento, & infallibili certitudine non nititur, & speciatim, quod verbo Prophetico & Apostolico non superstruitur. Eph. 2. v. 20. & per legitimam probationem non inventum est bonum, atq; verum.

18. II. Membrum stabilitur, cum necessariâ harmoniâ omnium dogmatum, quae imprimis Deo laudem veritatis tribuunt.



unt *Psal.* 33. v. 4. *Rom.* 3. v. 4. *Tit.* 3. v. 2. tūm totius doctrinæ salutaris primo ac præcipuo fundamento, quod est Dei certissima veritas; eam enim quisquis labefactat, totam structuram doctrinæ Christianæ funditus evertit, ipsum itaq; , tanquam saluti humanæ pestiferum, ex Ecclesiâ ejiciendum.

19. III. *Membrum* iisdem roboratur machinis. Nam quæcunq; doctrina est utilis ad docendum, arguendum, erudendum in justitiâ, & fidem generat, quæ sit substantia invisibilium, fiducia, *πληροφροῦσα* & *παρρησία*, eam oportet esse solidam & indubiæ veritatis; quicquid autem est dubiæ ac suspectæ veritatis, hoc nemini fiduciam adeò firmam ingenerabit: quod ergò Scripturæ veritatem suspectam reddit, & ancipitem, hoc illam ineptam facit ad peragendum officium docendi. *2. Tim.* 3. v. 16. & generandum fidem salvificam, propterea indignum, cui locus relinquatur in Ecclesiâ.

20. IV. *Membrum* ex fidei definitione eruitur: Nam fides Christiana est certa fiducia in gratiam Dei recumbens, quæcunq; igitur doctrinâ stante, certa fiducia in animis hominum, existere non potest, ea fidem Christianam, & consequenter Christianismū, è medio tollit, in Ecclesia nequaquam toleranda.

21. *Atqui distinctio voluntatis divinæ in eam, quæ est signi, & quæ beneplaciti, v. idoneis arguementis nō probatur.* Etenim, quicquid in ejus confirmationem producit, ad quatuor classes revocari potest: Sunt enim 1. *mandata*. 2. *prohibitiones*. 3. *promissiones*. 4. *comminationes*, in quibus Deus aliud se velle, subsequente eventu demonstravit, aliud se velle, verbo significavit: 1. *Mandata*; Abrahæ injunxit macellationem filii, præcepto autem satisfacturum prohibuit; *Gen.* 22. v. 2. 12. 2. *Prohibitiones*: prohibuit severè, ne quis bona proximi contrectans, invito Domino tollat & furetur. *Exod.* 20. v. 15. Israëlitas tamen jubet, Agyptios vasis aureis & argenteis spoliare; *Exod.* 11. v. 2. *cap.* 12. v. 35. 36. 3. *Promissiones*; Deus *Psal.* 132. v. 13. 14. Jerosolymæ perennem assistentiam, gratiam & tutelam fuit pollicitus, *hec mea est requies in æternum*: recessit tamen: quò refertur, quòd Deus *Matth.* 23. v. 37. vult omnium Judæorum conversionem signo,

B

eandem



eandem verò prohibet, induratione Es. 6. v. 10. Voluit signo, ut Pharao dimitteret populum Israël, idem prohibuit Pharaonis induratione. 4. *Comminationes*; Israël sub captivitate Philistæ & Ammoniticâ ad Jehovah clamanti respondet, *non liberabo vos ultra*, Jud. 10. v. 13. nihilominus liberavit. Ninivitis per Jonam minatur, *adhuc 40. dies, & Ninive subvertetur*. Jon. 3. v. 4. nec fuit subversa Ninive. Ezechia regi mortis jamjam imminentis sententiam dixit 2. Reg. 20. v. 1. quindecim tamen annorum vitam concessit. Esa. 38. v. 5. Hæc loco allegato Beza & Perkinsus.

22. Sed nihil ad rem. Respondetur enim per subsequentes regulas Theologicas: 1. *Scriptura non est committenda cum scripturâ, neq; voluntas scripto revelata opponenda voluntati abscondita*. Verbum Dei scriptum est exacta norma veritatis; neq; fallit voluntas beneplaciti, quippe iplo effectu comprobata: porro veritati nihil magis adversum, quàm contradictio, siquidem ea certò involvit verum & falsum, quod à norma veritatis, & certitudine præsentis eventus alienum; non esset verò alienum, si id quod voluntas signi affirmat verum, beneplacitum negaret ut falsum: ita si verum fuit, Deum velle in æternum habitare Jerosolymis, quod voluntas signi affirmat, falsum erat, quod voluntas beneplaciti decernebat, Deum nolle in æternum manere Jerosolymis, & contrâ.

23. 2. *Cum certo modo dicta non sunt accipienda absolute, neq; promissio modificata opponenda est comminationi conditionata, & vicissim*. Juxta leges Logicas, *opposita eodem modo dicuntur*; ut ergò fiat oppositio, necessum est, conditionatum opponi absoluto & contrâ, siquidem conditionatum non opponitur alteri conditionato, modo eodem; foret itaq; antithesis inter has; Deus vult (absolute) Jerosolymis manere; Deus non vult, (sub conditione perseverantis malitiæ) Jerosolymis manere: nulla verò antithesis inter has; Deus vult (sub conditione poenitentiae, & pietatis) habitare in Jerusalem; Deus non vult (sub conditione impoenitentiae, & impietatis) habitare in Jerusalem. Accipiuntur autem ab adversariis in exemplo jam explicato absolute, quæ sunt dicta conditionatè, utraque enim propositio conditionata est.



ta est voluntatis signi, nec potest alia esse beneplaciti, nisi absoluta; Malè & ἀλόγως.

24. Nec aliud de Pharaone, & Judæis sentiendum: Etenim (voluit Deus) signo & beneplacito, ut salvaretur Israël, non ut sine medio, aut violento raptu salvus fieret, sed per auditum verbi. Dum verò aures obturavit, & oculos compressit, verbum propositum excutiens, jam non succedit Judæorum salus, quam Deus seriò voluit, neq; huic alia opponitur, quæ conversionem Judæorum absolutè nolit. Ut Pharao dimitteret Israël, Deus voluit signo & beneplacito, nec fuit unquam voluntas in Deo, quæ noluerit simpliciter, à Pharaone dimitti Israël.

25. 3. Quando Deus simulat & dissimulat, facit hoc mala simulando, bona occultando, non autem bona simulando, & mala occultando, præsertim in rebus æternam salutem hominum concernentibus. De simulatione Dei postea dicendi locus erit; nunc tantùm innuimus discrimen longè maximum, quod intercedit, (quantum ad istam divinæ voluntatis occultationem) temporalibus, & spiritualibus; posito enim, quòd Deus (ratione temporalium) occultet sua consilia, ita quidem, ut bona ostendat, & mala occultet, non tamen hoc ipsum facit in spiritualibus, ut constet, frustrà adduci exempla de Egyptiorum spolio, immolatione Isaac, Ninevitarum interitu &c: cum de iis res est, quæ directè faciunt ad felicitatem æternam: illic enim dubitare non possumus, Deum placissimè, candidissimeq; suam voluntatem declarasse, nec revelatæ contradicentem occultam opposuisse.

26. 4. Præcepta Dei non tantùm sunt obsequii, sed etiam tentationis, sive probationis. Agnoscit Perkinsus l. d. pag. 981. & in ejusmodi præceptis, quæ non tam feruntur ad observantiam, quàm ad tentationem, non sunt diversæ voluntates, signi & beneplaciti, siquidem quod signo proponit, non est voluntas, sed, quemadmodum parentes præcepta dant parvulis, tantùm ut vires explorent, non quòd ea fieri velint, sic & Deus aliquando mandat, & velle simulat, quod tamen nulla ratione fieri voluit; qualiter nunquam voluit, Abrahamum



maestare filium suum; in iis ergo exemplis signum est, non tamen voluntas signi, sed unicè voluntas beneplaciti.

27. 5. Quando præcepta singularia videntur adversari generalibus, tùm intelligenda sunt generalia non aliter lata, quàm cum exceptione peculiaris dispensationis Dei. Quando dixit, non occides, subintelligitur, nisi ego præcepero, quod fecit, gladium tradens Magistratui cum hac instructione; qui sanguinem fuderit, hujus sanguis per homines fundetur, Gen. 9. v. 6. ideò Deus præcipiens magistratui, homicidam occides, & generaliter prohibens, non occides, minimè alias & diversas, imò oppositas voluntates ostendit, sed unam eandemq; , quia generalis fuit promulgata, cum exceptione peculiaris dispensationis, & homicidium magistratui in specie præceptum, nunquam fuit prohibitum in præcepto quinto decalogi: Eadem est ratio præcepti, non furaberis, excipitur enim ejusmodi ablatio rei alienæ, quâ Jehova, omnium Dominus, id quod uni ad tempus utendum concesserat, ab eodem rursus ablatum, alteri tradit, qualiter Dominus, cujus est terra ac plenitudo ejus, opes Ægyptiorum ab iisdem ablatas, Israëliti tradidit, quod expressa ejus declaratio, & mandatum ostendit; ideò Deus prohibens, non furaberis, & Israëlitis tollere jubens bona Ægyptiorum, minimè ostendit voluntates diversas atq; oppositas, cùm generalis promulgata fuerit, cum reservatâ potestate dispensandi, & ablatio Israëlitis concessa non fuerit unquam septimo decalogi præcepto prohibita. Concludimus, oppositam voluntatem signi. & beneplaciti argumentis idoneis non probari.

28. II. Deo laudem veritatis adimit: Quod sequente prosyllogismo obtinemus: Quicumque dicit, Deum in negotio nostræ conversionis, poenitentiae & salutis, aliquando id ipsum velle, quod in verbo suo sanctè testatur se nolle, & quod ait se velle, hoc ipsum seriò nolle, is Deum laude veritatis privat: Ratio; Ubi veritas est, illic est harmonia sermonis & vocis cum intellectu; penes illum verò, qui in negotio arduo id voce & sermone testatur se velle, quod tamen mente, & intellectu non vult, imò, cujus contradictorium seriò vult, non est harmonia-



harmonia sermonis & vocis cum intellectu, Ergò penes eundem non est veritas.

29. Subsumimus I. Atqui omnis oppositas & contradicentias voluntates Deo tribuens, juxta quarum alteram externo signo ac verbo profiteatur, se quorundam conversionem, & æternam salutem seriò expetere, juxta alteram verò occulto beneplacito & decreto, eorundem conversionem, & æternam salutem reverà nolit, idq; factò & opere testetur; is dicit, Deum in negotio nostræ conversionis pœnitentiæ & salutis aliquando id ipsum velle, quod in verbo suo sanctè testatur, se nolle (interitum nempe hominis) & quod ait se velle, (salutem hominis) hoc ipsum seriò nolit. Ergò omnis oppositas & contradicentes voluntates Deo tribuens, eundem laude veritatis privat.

30. III. *Scripturam sacram officio & autoritate, quâ ad docendum fidei necessaria, constituta & data fuit, exuit.* Hoc ita evincimus: Quicumq; profiteatur, Scripturam sacram de benefica voluntate Dei aliud nobis proponere, quàm in re ipsa verum est, & eventu comprobatur, à Deo fuisse decretum, is Scripturam sacram officio docendi, & autoritate huic officio necessariâ, omninò exuit: Ratio est; quia ad hoc, ut homines doceantur ea, quæ debent credere, necessum est, docentem instructum esse infallibilitatis testimonio, & falsitatis crimine non notatum, ideoq; de fide suspectum: sed quisquis affirmat Scripturam aliud de Dei amore nobis inculcare, quàm in re ipsa verum est, eandem privat infallibilitatis testimonio, & falsitatis crimine notat, ideoq; de fide suspectam reddit; Ergò idem Scripturam officio, & autoritate omninò illi necessariâ, exuit.

31. Subsumimus: Sed omnis tribuens Deo (quoad salutem hominum, & voluntatem Dei circa illam) duplicem & contradicentem voluntatem, profiteatur, Scripturam sacram de benefica Dei voluntate aliud nobis ut verum proponere, quàm re ipsa verum est, & eventu comprobatur: Etenim, si verum est, Deum in arcano suo consilio (eventu complendo) maximam multitudinem Judæorum velle damnatam, nolle conversam, &



salvatam falsissimum est, quòd Deus per Prophetas, etiam per  
filium, in sacris literis toties etiam jurejurando testatus fuit, se  
nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: item, se  
voluisse Judæos sub alas suas congregare, &c.

32. Ita cadit 1. *officium docendi*: quia proponens talem  
Dei amorem credendum, qui in se nullus est, furorem autem &  
odium acerbissimum sub verborum blanditiis (ut mel, vene-  
num) occultat, nil minus facit, quàm ut quenquam ad salu-  
tem erudiat; siquidem non vera docens, non docet, sed deci-  
pit. 2. *autoritas*; quia si Judæos decepit Scriptura S. ut juberet  
credere (intercedente juramento Dei) quòd tamen se aliud ha-  
bere, eventus comprobavit, quidni eodem modo nunc decipi-  
at Christianos, laudans Dei dilectionem, quâ totum mundum  
ita fuerit complexus, ut unigenitum filium daret, &c. qua no-  
lit quenquam perire, velit omnes ad agnitionem veritatis veni-  
re, ad poenitentiam converti, salvos fieri; quæ tamen omnia  
Deus in rei veritate simpliciter nolit, velit autem contrarium?  
Et cui Christianorum poterit cum autoritate, & infallibilitatis  
testimonio persuadere? hanc esse Dei, non voluntatis inanem  
jactationem, sed ipsissimam voluntatem, & hoc beneplacitum,  
qui enim unum decepit, in eodem negotio præsumitur alios  
etiam velle decipere.

33. *IV. Fidem Christianam, & salutiferam labefactat.*  
Veritas hujus membri, ex jam dictis luculenter cernitur, brevi-  
ter verò sic demonstratur: Quicquid fidei principia & funda-  
menta reddit lubrica & incerta, hoc ipsam fidem labefactat: Ra-  
tio est; quia, si fundamentum fidei, non fuerit ad omnes hosti-  
les impetus sufficienter munitum, ipsam fidem labi necessum  
est, secundum Christi parabolam, *Matth. 7. v. 26. 27.*

34. *Subsumimus*: Quicquid sacram Scripturam officio  
& autoritate, quâ ad docendum fidei necessaria, constituta &  
data fuit, exuit, (quod facit distinctio voluntatis signi & bene-  
placiti) id fidei principia & fundamenta reddit lubrica, & incer-  
ta: siquidem Scriptura sacra est principium, & fundamentum  
fidei. *Eph. 2. v. 20. Cives sanctorum, & domestici Dei superedificati estis  
super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. E. quicquid sacram  
Scri-*



Scripturam officio & auctoritate, quæ ad docendum fidei necessaria, constituta & data fuit, exuit, (quod facit distinctio voluntatis signi & beneplaciti) ipsam fidem Christianam, & salutiferam labefactat: Et per consequens, distinctio voluntatis signi & beneplaciti è choro Ecclesiæ est ejicienda, tanquam pestifera & humanæ saluti nocentissima.

35. V. Dilectio Dei, quâ vult salutem hominum, est voluntatis antecedentis, non consequentis.

Utilis & necessaria est distinctio, per quam totum salutis negotium facilè ac perspicuè explicatur, & sine qua ubique hære oportet, quod suo exemplo conprobant, qui Calvinum secuti doctrinâ suâ mirificè fluctuant. Terminos (*antecedens & consequens*, *προηγούμενη, ἐπομειμένη*) primus dedit Damascenus, quem secuti, distinctionem necessariam sub terminis satis commodis meritò amplectimur: eam primùm declaramus; deinde negatam probamus.

36. Initiò constituendus est homo, pietate aut impietate, fide aut incredulitate ad salutem æternam, vel perditionem sempiternam properans: hujus conatus & actiones aliqua Dei voluntas antecedit, aliqua sequitur; antecedit benevolus amor, quo Deus omnem prorsus hominem, pium pariter ac impium, justum & injustum, fidelem & infidelem, vult æternùm salvum fieri, atq; tunc non consideratur ut credens, aut incredulus, &c. sed absolutè, ut homo, abstrahendo, qualem se erga benevolentiam Dei sit præbiturus. Et hanc voluntatem Deus humano generi declarat ac probat, verbum patefaciendo, & per illud testando, quòd velit omnium hominum salutem, etiam salutis media proponendo, ad media ista simul, & salutem ipsam vocando: quæ omnia priora sunt quavis humana actione & conatu, ideò vocantur *voluntas antecedens*.

37. Postquam ergò Deus benignam voluntatem satis sufficienter declaravit, viamque salutis patefecit, in ambiguo est, qualiter homines eandem sint excepturi, secuturi, aut reprobaturi: Etsi enim non statuamus, in potestate hominum esse, gratiam oblatam fide acceptare, attamen pro certo habemus, in cujusvis potestate constitutum, *i. eandem excutere,*  
*contemne-*



contemnerè, & pertinaciter Deo vocanti resistere, atq; sic ex una parte efficere, ut gratiæ oblatæ non evadat particeps: 2. Deo vocanti non reluctari malitiosè, ac pertinaciter, & patièdo, seu non agendo facere, ut per divinam operationem, ab ipso non exclusam, aut impeditam, gratia salutifera illi conferatur. Eventus autem & quotidiana experientia plus nimium testatur, maximam hominum partem non audire Deum vocantem, & gratiam habere, contemptui; cæteros non reluctari, idè ad Deum converti & benevolentia istius re & facto participes fieri.

38. Hinc Deus, consideratâ quorundam gratitudine, cæterorum contemptu, jam quid de unoquoque non tantum fieri velit, sed etiam quid futurum sit, decernit, ut credentes salventur, increduli damnentur: siquidem enim decretum hoc, & voluntas fundatur, non in sola voluntate antecedente, sed etiam in hominum erga ipsam comparatione, *consequens* appellatur, quippe actibus & conatibus hominum posterior.

39. Frustrâ autem fingitur utriusq; *ἀντιθεσις*, quasi absurdum sit, Deum unius & ejusdem salutem velle & nolle; cum enim hoc fiat respectu diverso, jam sublata est omnis oppositio; subordinari autem sibi invicem, luculenter demonstratur similibus, exemplis, & parabolis ad hoc negotium declarandum à Dei Filio nobis propositis.

40. *Simile esto geminum; unum; boni & laudati patris, qui omnibus suis liberis vult benè esse, ipsisq; omnia sua bona in hæreditatem cedere, sic tamen ut sibi obtemperent, nec scelera & flagitia sectentur; hæc voluntas antecedens est, quippe omnium filiorum actu prior. Jam verò liberorum aliqui virtutis studiosi, paternis monitis obsequuntur, alii flagitiosi, immorigeri, & paternæ informationis contemptores in diversum abeunt, idè pater non tantum quid velit, sed etiam quid de liberis suis futurum sit, decreto sancit, ut nempe omnis hæreditas cedat bonis & obsequentibus liberis, cæteri hinc excludantur; quæ voluntas, quia actione liberorum posterior est, *consequens* dici potest. Utraque verò suum habet locum sine omni contradictione aut repugnantia.*



41. *Alterum; boni & laudati magistratus: qui omnibus civibus & subditis vult benè esse, sic tamè, ut Reipublicæ leges servent; atq; ea voluntas antecedit omnem actionem civium & subditorum: postquam verò illorum aliqui ad legum normam vivunt, alij enormiter peccant, & sceleribus Reipublicæ nocent, jam vult magistratus, atq; decernit, bonos à violentiâ quorumvis defendere, & modis omnibus juvare, maleficos autem & sceleratos in crucem agere, igne comburere, aquâ suffocare, &c. quæ voluntas sequens actiones civium consequens non incommodè dicitur: Utraque verò sine contradictione datur, aut alterutris mutatione.*

42. *Parabola, quâ Christus ipse hoc negotium exposuit, gemina legitur in historiâ Evangelicâ, utraque ejusdem planè argumenti, Matth. 22. v. 1. seq. Luc. 14. v. 16. seq. Instruxit rex quidam epulas nuptiales, & hospites invitavit, hoc sincero affectu, ut regiam clementiam & beneficentiam illis exhiberet; omnes igitur invitatos tunc sincerè diligebat, omnibus benefacere cupiens, modò liberalitatem suam non contemntes vocationi parèrent: voluntas hæc præcedit hospitem gratitudinem & contemtū, ideò antecedens appellanda; postquam verò hospites ministros regios malè excipiunt, plagis & vulneribus conficiunt, alia nunc voluntas eam invitatorum malitiam sequitur, ut rex mittat exercitum suum, & succendat civitatem illorum, imò hos ipsos perdat, quos prius gratiosè diligebat, & regijs bonis afficere, animum induxerat. Eodem planè modo & eventu paterfamilias adornarat cœnam magnam, &c.*

43. *Hæc omnia appositè, & ipsius Christi ductu, applicantur ad salutis humanæ negotium. Rex & paterfamilias Deus est, fecit is nuptias Christo filio suo, & invitavit multos ( omnes homines Marc. 16. v. 15. ) minimè fucato affectu optans, illos omnes epulis paratis frui. Ipsi repudiant regis gratiam, hoc est, vitam æternam sibi oblatam negligunt; hinc decretum rex facit de perdendis ingratis, sive damnandis verbi cœlestis contemtoribus: eosdem nunc odio acerbo prosequens, quos insigni gratiâ fovebat, & sui convivij hospites propen-*



fo affectu cupiebat prius. Satis de explicatione nostræ mentis.

44. Sunt verò, qui planè aliter sentiant, tribuentes Deo non nisi unicam, simplicem voluntatem, eamque *absolutam*, ut neminem unquam voluerit salvum, qui non reipsâ salvus fiat, & voluntatem non pendentem ab ulla hominum actione, ut per illam vel impleatur, vel impediatur, sed à beneplacito Dei unico; hinc existimant, si Deus modò diligeret omnes, modò aliquos vellet damnatos, fore illum in consilijs mutabilem, & consecuturum absurdum, quòd Dei judicia per homines definiantur, & quæ complura alia in reformatorum & Calviniscuarum scriptis occurrunt, ubivis lectoribus obvia. Videantur in primis *Pisc. not. ad amicam collat. Vorst. s. 8. p. 25. Johan. Maccovius, Professor Franckerensis Disp. 4. de Prædest.*

45. Quæ, cum nihil agant aliud, quàm ut evertant distinctionem assignatam ab aliquibus admissam, ab alijs hostiliter arrosam, eandem hoc sequente syllogismo probamus. *Si Deus 1. sine contradictione unum eundemq; hominem vult salvari & damnari. 2. & banc suam voluntatem declarat, quòd una humanam actionem præcedat, altera eandem sequatur. 3. Ut, nisi illa voluntas utraq; asseratur, aut ejus veritas nullo modo salvari possit, aut quid Deus circa hominum salvationem & damnationem velit, aut nolit, explicari nequeat, sequitur, Deum circa hominum salutem versari gemina voluntate, quarum una antecedens, altera consequens appellari possit.*

46. Propositionem confirmamus quoad 1. membrum. Quicumque idem vult & non vult, ratione unius objecti, is aut habet voluntates repugnantes, & contradicentes, aut diversa hæc vult, modo diverso, seu quod idem est, diversa voluntate. Ergò; si Deus unum & eundem hominem vult salvari & damnari, sequitur, aut in Deo esse voluntates contradicentes, aut modum diversum, sive diversam voluntatem. Contradictionem Deo salvâ pietate tribuere nemo potest. E. necessariò est ad-



est admittendum, in Deo esse diversam voluntatem quoad hominum salutem.

47. 2. *Membrum.* Qualiter Deus propriam voluntatem declarat; talis statuenda est esse; E. si diversam esse declarat, ut principijs & causis variantem utique diversa, & principijs & causis variare credenda est.

48. 3. *Membrum.* Sine quo explicari nequit, quid Deus circa hominum salvationem & damnationem velit, aut nolit, hoc maximè est necessarium. Ratio est; quia Deus hoc suum consilium nobis abundè exposuit, ac declaravit. *Act. 20. v. 27.* Ergò; si absque distinctione voluntatis Dei non potest explicari, quid Deus circa hominum salvationem & damnationem velit aut nolit, sequitur, distinctionem voluntatis Dei esse maximè necessariam.

49. 10. *Atqui 1. Deus sine contradictione, unum, eundemque hominem vult salvari & damnari;* probatur hoc pro syllogismo. Quicumque expressè profitetur. 1. se velle omnium hominum salutem. 2. nolle mortem peccatoris in peccato intereuntis 3. nihilominus expressè testatur, se velle aliquorum damnationem, etiam illorum quos prius dilexerat, is unum eundemque hominem vult salvari, & damnari. Deus expressè profitetur. 1. se velle omnium hominum salutem, &c. E. Deus unum, eundemque hominem vult salvari & damnari; hoc tamen sine contradictione; (sumimus enim pro confesso, illam in Deum non cadere.)

50. Minor probatur, 1. quia sic loquitur scriptura: *Conclufit Deus omnia in incredulitatem, ut omnium misereatur. Rom. 11. v. 32. Deus vult omnes homines salvos fieri. 1. Tim. 2. v. 4. Deus non vult aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti. 2. Pet. 3. v. 9. 2. Quia sic jurat ipse Deus. Ezech. 33. v. 11. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nolo mortem peccatoris. cap. 18. v. 32. nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini, & vivite. 3. quia vult damnationem Judæorum, quos volebat congregatos, quemadmodum gallina pullos sub alas colligit. Matth. 23. v. 37. ridet in interitu illorum, ad quos manum suam extendebat, &c. Prov. 1. v. 24. damnationi*



graviōri adjudicat eos, quos prius verbo suo ad fidem converterat, 2. Pet. 2. v. 21. melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti, &c. Luc. 12. v. 47. servus qui cognovit voluntatem Domini, vapulabit multis.

51. II. Et hæc suam voluntatem declarat, quòd una actionem hominum precedat, altera eandem sequatur. Declarat 1. præceptis ac minis: Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, damnabitur. Marc. 16. v. 15. 16. Est hic voluntas 1. generalis docendi, ut salutariter omnes credant. 2. specialis salvandi, & damnandi, quarum illa præcedit, hæc sequitur hominum actiones.

52. 2. Parabolis: Duas allegavimus supra, ex Matth. 21. v. 1. seq. & Luc. 14. v. 16. seq. in quibus conspicua est, 1. generalis voluntas, ad omnium salutem se extendens, quæ prior est omni humana operatione: 2. specialis, subsequens invitatorum obsequium & illusiones; illa omnibus est benigna, hæc quibusdam exitiosa.

53. 3. Exemplis populi Judaici, quem Deus totum dilexit, (antequam peccatis ipsum irritaret) sed refractarium perdidit, & abjecit; dilexit, antequam malè ageret, abjecit, cum incorrigibilis Deum audire recusaret: quod negotium elegantissimè explicat Ezechiel. cap. 16. v. 3. 15. 35. Judæ proditoris; hunc in tantum amarat Christus, ut in venerabile Collegium Apostolorum adscisceret, informandis Judæis adhiberet, Matth. 10. v. 4. 5. alijsq; innumeris bonis afficeret, ideò salvum fieri omnino vellet, nihilominus eundem avarum, apostatam, proditorem, &c. quod maximum, incredulum, ac desperandum, voluit ad inferos detrusum.

54. III. Ut nisi illa voluntas utraq; asseratur, aut ejus veritas nullo modo salvari, aut, quid Deus circa hominum salvationem, & damnationem velit, aut nolit, explicari nequeat. Quisquis idem de eodem objecto simul vult & non vult, is aut diverso respectu, & voluntate hæc vult, aut sibi  
contra-



contradicit, & dum aliud reipsa vult, quam quod se velle ait, falsitatis, hypocrisis & mendacij, jure optimo arguitur, aut voluntas ejus explicari prorsus nequit. Atqui Deus unum, & eundem hominem vult salvari & non salvari, damnari & non damnari. E. hoc vult diverso respectu, & voluntate distincta, aut si hoc non admittendum, Deus, qui veritas est, falsitatis & mendacij jure optimo arguitur, aut certe explicari non potest, quid Deus circa salutem & damnationem hominum velit, aut non velit.

55. VI. Dilectio Dei qua vult salutem hominum ratione sui est absoluta; ratione executionis modificata. Et hujus maxima est necessitas ad intelligendum dilectionem Dei humanum genus amplexam. Sic vero illam explicamus. 1. *Dilectio Dei est ratione sui absoluta*: hoc est, ut Deus omnes diligeret, nihil eum movit praeter absolutum & purissimum beneplacitum, non attendens, quisnam illorum sit crediturus, quis non; & haecenus nulla prorsus conditio datur, absolute dilexit omnes. 2. *Dilectio Dei est ratione executionis modificata*; hoc est, Deus ex mero & puro beneplacito, ideo absolute vult omnes salvari; non tamen vult omnes absolute salvari, sive, excluso omni ordine, aut medio; quamvis ergo nulla sit conditio voluntatis, est tamen definitus modus, in quo Deus hoc absolute voluit.

56. Quemadmodum pater vult omnes liberos participes evadere suorum bonorum; hoc absolute, & sine ulla conditione cupit, non autem vult ut hoc actu fiat sine conditione, hoc est, sive sint boni sive mali, virtuosi, aut flagitiosi; sed cum conditione expressa, si in pietate & parentum observantia perseveraverint. Ita nimirum voluntas absolute concepta involvit conditionem; hoc est, pater volens filium (si pius & probus manserit) salvari, eo ipso vult, filium servare hanc conditionem, ut virtutem sectetur, eamque sectando, hereditatem consequatur.

57. Similiter Deus minime vult, ut omnes salventur, quicquid etiam agant, verum volens finem, salutem nimirum

C ;

rum



rum omnium hominum, eâ ipsâ voluntate seriô cupit, nullum sibi vocanti reluctari, sed omnes amplecti vocationis verbum, ceu efficax salutis medium, & ordinem abs se præfixum sequendo, salvari.

58. Displicet hæc etiam distinctio reformatis (ita dictis) qua in re multus est *Joh. Pisc. notis ad amicam collat. Vorstij sect. 4. pag. 10. sect. 18. pag. 52. Itemq; Maccovius Disp. 3. de prædest: cujus hoc thema, quod per totam Disputationem defensat: Conditionata Dei voluntas nulla est. Etsi verò hanc Dei voluntatem non dicamus conditionatam, & malimus appellare modificatam aut ordinatam, absolutam tamen, (expositis modis) non agnoscimus, & veritatem nostræ thesæos probamus hoc syllogismo:*

59. *Quicumq; 1. Voluntatem suam non aliter declarat, quàm quòd sub certo modo illam fieri velit. 2. Et quod aliàs ait se velle, id ipsum se sine hoc ordine prorsus nolle, testatur. 2. Eamq; eventu contrario probat, se cum definito modo voluisse, quod absolute noluerit, ejus voluntas certò est modificata.*

60. I. *Membrum connexi planum est; quia intelligi non potest, quomodo voluntas sit absoluta, quam quis non aliter intra se concepit, quàm ut per certum ordinem fieret.*

61. II. *Membrum planum est: quia voluntas, quæ per ordinem additum vel negatum, mutatur, ordine, ceu forinâ afficitur, ideò est ordinata.*

62. III. *Membrum solidum est, quia voluntas ex eventu ut plurimum æstimatur; ideò, quam voluntatem declarat eventus, fuisse ad ordinem restrictam, hanc nemo absolutam dixerit, omnes ordinatam.*

63. *Atqui. 1. Deus voluntatem suam, de hominum salute non aliter declarat, quàm quòd velit omnes homines sub certo modo salvos fieri, & ad agnitionē veritatis venire: Marc. 16. v. 16. qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Joh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, cap. 3. v. 18. qui credit in filium, non judicatur,*



tur, qui autem non credit, jam iudicatus est, *QUIA non credit &c. cap. 6. v. 40.* Hæc est voluntas patris mei, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et, quamvis similibus sententiarum per scripturam sint plurimæ, nulla tamen aliter exponit hanc ipsam Dei voluntatem, nisi per additam mentionem fidei, aut phrasin æquivalentem.

64. Neque ullius momenti est quorundam exceptio, quasi in his non tam sint conditiones, restrictiones &c. quam promissiones, siquidem & promissiones possunt certum ordinem involvere, & Deus voluntatem beneficam & salvificam non declarat aliter, quam promittendo; unde certâ consequentiâ sequitur, omnem promissionem ordini alligatam nihil aliud esse, quam notam & signum voluntatis modificatæ: vicissim etiam modificatam voluntatem non commodius & planius exponi, quam per modificatum promissum: E. ubi promissio benefica per ordinem est exposita, illic voluntas inodo & ordine limitata.

65. II. Et quod ait, se velle omnium hominum salutem, cum additamento fidei, id ipsum se sine fide prorsus nolle testatur. *Marc. 16. v. 16.* qui non crediderit, damnabitur. *Joh. 3. v. 28.* qui non credit, jam iudicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. *Ezech. 18. v. 26. 27.* Cum averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in injustitia, quam operatus est: Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, ipse animam suam vivificabit.

66. Hinc argumentum: Qui vult omnes salvari, ut tamen hi omnes credant; vicissim autem vult aliquos judicari ac damnari (quia non credunt) & in peccatis mori, qui in illis perseveranter hæserint; is, quod ait, se velle omnium hominum salutem cum additamento fidei, id ipsum, se absolute prorsus nolle, testatur. Atqui Deus vult omnes salvari, si tamen credant, vicissim autem vult aliquos judicari ac damnari (quia non credunt) & in peccatis mori, qui in illis perseveranter hæserint. E. &c.

67. III.



67. *III. Eamq; eventu contrario probat, se cum definito modo voluisse, quod absolutè noluerit.* Contrarium eventum dicimus, quando Deus credentes bonis spiritualibus & corporalibus afficit, suumq; amorem illis probat, cum primis æternam salutem conferendo; e contra impœnientes increpat, illisq; minatur iram & pœnam, percutit, affligit, tandem in æternos cruciatus præcipitat. Pendent hi contrarij eventus ab eo discrimine hominum, quòd aliqui credunt, alij in peccatis impœnientes, & increduli perseverant; ideò salvatus fuit latro cum Christo crucifixus, quia ipsum agnovit salvatorem, per quem pateret ingressus in regnum cœlorum. *Luc. 23. v. 42.* Vicissim, damnati sunt increduli, homicidæ, fornicatores, venefici, mendaces, idololatræ. *Apoc. 21. v. 8.* item qui Christum non receperunt peregrinum, non vestierunt nudum, non cibaverunt esurientem, &c. *Matth. 25. v. 41. 42.* non certè, quia sunt homicidæ, fornicatores, &c. alioqui nulli tales, ideò nec homicida Moses, nec David adulter &c. perventuri essent in regnum cœlorum; sed, quia aut peccata sua in agnum Dei portantem peccata mundi, non conjecerunt, quòd fide verâ & salvificâ præditi non fuerint.

68. Hinc argumentum: si Deus, volens omnes salvos fieri, ideò salvat, quia credunt, & quos punit ac damnat, ideò punit & damnat, quia non credunt, sequitur, Deum omnes voluisse salvos fieri, non aliter quam per fidem, ut per ordinem ab ipso constitutum. Prius verum est ex allegatis & productis. E. verum quoq; posterius. *E. generalis Dei voluntas de salute hominum est modificata.* Hæc in declarationem principalis thematis fuerunt disputanda.

69. *VII. Deus voluntate dictis modis declarata vult omnes homines, absq; exceptione ullius Individui, salvos fieri.* Dissensum reformatorum jam tum aliquo modo notavimus; qualiter verò illi directè universalitatem hujus beneplaciti tollant, vel inde apparet, quia putant, Deum fecisse absolutum omnes causas antegrediens decretum, quo  
statue-



statuerit maximam partem humani generis ad damnationem reprobare, eamq; nullo unquam tempore à Deo dilectam fuisse, nec ipsi placitum, ut vel unus illorum omnium salvus fiat: quanto conatu id defendant, vel solum Concilium Dordracense abundè prodit, cæteraq; acta circa hoc edita: unde plena sunt illorum scripta disertæ negationis universalis amoris in omnes homines; extat Piscatoris scriptum integrum de hoc negotio Nicolao Hemmingio oppositum, aliaq; plurima, quæ in omnium ore ac libris versantia, verbotenus huc annotare, supervacaneum putamus: rectà igitur scopum ferientes, thesin nostram stabilimus, & opinionem adversariam refellimus hoc syllogismo:

70. *Si Deus, 1. apertis & clarissimis verbis affirmat, se diligere omnes homines. 2. etiam eos, qui nunquam ad eum convertuntur. 3. nec usquam hunc suum amorem restringit, semper magis magisque exaggerat. 4. omnes sub peccatum conclusit. 5. Ex sua parte non patitur quicquam ad nostram salutem faciens desiderari. 6. Omnibus mittit filium redemptorem. 7. omnes vocat ad regnum filij sui, & eternam salutem. 8. ideò damnandos judicat, qui, & quia non crediderunt. 9. nec fundamentum salvificæ fidei evertit; sequitur, voluntatem Dei circa salutem hominum esse universalem.*

71. *Propositio est firma quoad I. Membrum, quia hunc Deus certò vult salvum esse, quem verbo suo profitetur, se salvatum velle, cum apud Deum non sit dissensus cordis & oris.*

72. *II. Membrum: quia duæ sunt hominum classes, una fidelium, altera incredulorum, in has discescente Christo totum genus humanum, Job. 3. v. 18. & verò in dubio non versatur, quòd fideles sint adeò dilecti Domino, ut ipsos salvari cupiat, universalitas benignæ voluntatis tunc plenè probata erit, si constiterit, eam ad incredulos etiam extendi.*

73. *III. Membrum: quia quicquid hominibus est commodum & salutare, hoc, si à Deo largitore nusquam restringi-*

D tur,



cur, nec à nobis restringendum, si verò ab eodem amplificatur, abs nobis etiam magnopere amplificandum est. Ratio. i. quia stolidus est, quisquis propriæ salutis quicquam detrahit, quod Deus eidem additum voluit; quod facit, qui gratiam divinam magnoperè amplificatam angustis limitibus ac terminis coarctat: 2. quia gratiam regiam perdit, quisquis beneficentiam regis elevat, extenuat, limitat & restringit, quando rex omnibus modis ipsam exaggerat. 3. quia ex nostra limitatione, non potest divina voluntas æstimari, quando id, quod à nobis restringitur, à Deo amplificatur.

74. IV. *Membrum*: quia quoscunque Deus conclusit sub peccatum, eorum vult misereri, juxta sententiam Apostolicam Rom. 11. v. 32. *Conclusit Deus omnia sub incredulitatem, ut omnium miseretur*: hinc autem colligimus, æquè latè patere peccatum & misericordiam, & sic argumentamur: quàm latè patet peccatum, tam latè patet misericordia: peccatum æquè latè patet ac humanum genus. E. & misericordia æquè latè patet, ac humanum genus.

75. V. *Membrum*: quia ex parte Dei magnoperè requiritur misericordia & gratia Dei, quippe primum initium nostræ salutis, & quâ deficiente, culpa in Deo est, quòd homines non salvantur: hinc propositio: Si Deus nihil ad salutem nostram faciens in se patitur desiderari, neque misericordiam & dilectionem, tanquam præ omnibus alijs summoperè & unicè necessariam desiderari patietur: Vicissim; cum nolit Deus culpam humani exitij in se derivari ullâ ratione, & ne hac quidem, quòd omiserit aliquid ad ullius restaurationem ex peccato requisitum; necessarium est, eum dilexisse omnes, omnes voluisse ad gratiam redire, omnibus filium misisse, omnes vocasse, & in hisce suis actibus efficacem conversionis gratiam nulli mortali denegasse, ut unicum salutis impedimentum supersit, humana incredulitas, ut quisquis damnatur, tantum ideò damnatur, quia amorem Dei recusavit, contempsit, excussit.

76. VI. *Membrum*: quia missio filij habet causam veram, unicam atque proximam Dei dilectionem amplexam homi-  
nes



nes propter peccatum exitio destinandos, & vicissim; missio filij est declaratio, atq; (ex Dei parte) executio, & complementum amoris concepti; inde reciproca sunt quoad amplitudinem, Dei dilectio, & Christi meritum; ut quos Deus dilexit, his filium miserit, & quibus misit filium, hos dilexerit, agnoscente consequentiæ veritatem *Joh. Piscatore vol. 2. disp. Theol. pag. 177.* In præsentia universalem dilectionem Dei probaturi, talem propositionem formamus: *Quibuscunq; Deus filium misit, eos omnes verè ac seriò dilexit.*

77. VII. *Membrum*: quia vocatio nihil aliud est, quàm externum testimonium, & declaratio amoris: quemadmodum enim rex ad nuptias filij invitans, regiam benevolentiam in corde conceptam, ijs, quos sibi hospites cupit, declarat, sic non minus Deus vocando nil agit aliud, quàm ut testetur, se toto corde & animo cupere, ut ipsi unâ secum æternis gaudijs fruatur.

78. Nec locum dandum putamus inani distinctioni quorundam, *vocationem efficacem ab inefficaci* discernentium, atque putantium, propositionem veram esse de efficaci solis electis contingente, falsam de inefficaci, quâ vocentur reprobi. Nam etsi omninò agnoscamus, aliquam vocationem efficacem non esse, quia tamen censendum est, hoc fieri ex parte & vitio hominum, quemadmodum vocatio ad recusantes & comparentes pariter directâ multum variabat, non respectu regis vocantis, sed per illorum malitiam & contemptum, horum autem obsequium; nihil ad nostrum propositum facit, ubi consideramus vocationem tantum ex parte vocantis Dei; qualiter omnis vocatio est efficax, nulla inefficax: quod probamus hoc syllogismo.

79. Si Deus omnes homines vocat ad regnum filij sui, & æternam salutem non fucatè, sed seriò, simul offerens vires necessarias & sufficientes ad hoc, ut vocationi pareant, sic, ut ex parte Dei nihil prorsus deficiat, quò minus omnes omninò vocationi satisfaciunt ad regnum filij ejus, & æternam salutem actu perveniant, neq; Deus ipse ullum vocationis discrimen fa-



cit sequitur, omnem vocationem divinam ad regnum cœlo-  
rum esse efficacem, nullam verò inefficacem. Prius verum est,  
quia, ut semen cadens in terram bonam, non est fœcundius  
(quoad ferentem) eo, quod cadit sub spinas, in petram &  
viam; *Matth. 13. v. 4. seq.* nix aut pluvia cadens in ligna, lapides,  
arenam, flumina, &c. non minus fœcundandi virtute pollet,  
aut minus efficax est, quàm in terram bonam cadens. *Esa. 55. v.*  
*10. 11.* ita verbum Dei his simile eadem virtute cadit in aures &  
corda eorum, qui nunquam convertuntur, ac cæterorum, qui  
convertuntur; E. verum quoque posterius.

80. VIII. *Membrum*: quia 1. Si vera & propria causa hu-  
manæ condemnationis non hæret in Deo, sive sit positiva, sive  
privativa, hoc est, si Deus non causat damnationem ullius ho-  
minis, neq; per actus ad damnationem ducentis positionem,  
neq; per actus damnationem prohibentis omissionem; sequi-  
tur, neque Deum esse causam humanæ incredulitatis. Si non  
est causa humanæ incredulitatis, utique dilexit omnes, omni-  
busque misericordiam suam probavit; aliàs enim propter de-  
fectum divinæ gratiæ, hujus, non suâ culpâ, essent increduli, &  
consequenter damnationi obnoxij.

81. 2. Si vera & propria causa justæ damnationis, sive  
non salvationis, est incredulitas hominum, qui credere debue-  
runt, quòd sint à Deo dilecti, & à Christo redempti (qualiter  
fidem suam exponit Paulus, *Christus dilexit ME, & tradidit se-  
metipsum pro ME, Gal. 2. v. 20.*) sequitur verum etiam esse, quòd  
à Deo reverà sint dilecti: Sic enim progredi licet: Quicumque  
ideò damnatur, quia credere noluit, se esse à Deo dilectum, &  
à Christo redemptum, damnatur, aut quia non credidit id, quod  
verum est, aut quod falsum: absurdum est posterius, nempe  
Deum multò maximam partem hominum ideò damnare, quia  
noluit credere verum esse id, quod tamen verum non est. E. ve-  
rum est prius, nempe, si Deus ob incredulitatem damnandos  
judicat, eos fuisse à Deo dilectos.

82. IX. *Membrum*: quia fides salvifica nititur dilectione  
Dei, ita ut unumquemvis credere oporteat, se esse à Deo dile-  
ctum:



atum: quicumq; autem hoc credit, universaliter præsuppositum habet, quòd Deus omnes homines diligat, quòd aliàs omnis collectio ex puris particularibus, ideò vitiosè, sit processura. Argumentum hujusmodi damus: Sine quocunq; dogmate nemo hominum fidem salvificam concipere potest, illud est summè necessarium. Sine dogmate hoc, de universali dilectione Dei, nemo hominum fidem salvificam concipere potest. E. dogma de universali dilectione Dei, est summè necessarium.

83. Minorem, quippe controversam, ita demonstramus: Fides (quæ nihil aliud est, quàm certò statuere, se esse à Deo dilectum, & à Christo redemptum) aut desumitur ex proprio sensu, aut ex scripturâ: Prius hominum genus removemus, tanquam Enthusiasticum, & ex Ecclesiâ jam diu proscriptum: posterius itaque amplectentes, sic procedimus. Quicquid ex scripturis cognoscitur, aut ἐν τῶς in ijs extat, aut per validam consequentiam inde ducitur. Verùm: Titus debet credere, se esse à Deo dilectum, & quidem ex scripturâ. E. illud extat inibi vel ἐν τῶς, quod falsum; vel per firmam & validam consequentiam: sed quæ illa? nos hanc damus: Omnes homines sunt à Deo dilecti. Ego sum homo. E. ego sum à Deo dilectus: Si major facta fuerit particularis, nihil concludetur, in quo hominum conscientia acquiescere possit; alia autem collectio dari nequit; hinc argumentum: quo negato, mens hominis non potest ex scripturâ firmiter colligere, se esse à Deo dilectum, eo destructo, fides hominum salvifica in universum evertitur: negatâ universalitate dilectionis Dei, non potest mens ex scripturâ firmiter colligere, se esse à Deo dilectum. E. destructâ universalitate dilectionis Dei, fides salvifica in universum evertitur. Hæc de majore propositione generalis syllogismi: nunc ad minorem.

84. Atqui 1. Deus apertis & clarissimis verbis affirmat, se diligere omnes homines. 1. Tim. 2. v. 4. Deus vult OMNES HOMINES salvos fieri. Matth. 18. v. 14. Non est voluntas coram patre meo, qui in cœlis est, ut pereat unus ex parvis istis. 2. Pet. 3. v. 9.

D 5

Deus



Deus patiens est erga nos, non volens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti. Verba clara sunt, non admittentia ulteriorem *Exodov*, aut collectionem, cum per se ipsa vim thesauri immediate contineant, nec illa per sequelam & medium elici necessarium habeat.

85. Opponunt adversarij nonnulla; cumq; videant omnem vim argumenti residere in duabus vocibus universalitatem designantibus. 1. *Omnes*. 2. *Mundus*, utramq; enervare laborant; de voce, *OMNES*, diversa comminiscentes: 1. Deum dilexisse omnes, non tamen omnes homines, sed credentes, & electos. 2. intelligi genera singulorum, non singula generum, 3. notari collectionem Judæorum & gentium, quod simul diligit Judæos & gentes, quamvis non omnia in illis Individua, 4. *Omnes* quandoq; non significare singula individua, sed indefinite aliqua.

86. Respondemus generaliter & specialiter. Generaliter ad quadruplicem exceptionem: Quicquid in negotio fidei sine probatione dicitur, id frustra dicitur, & eadem facilitate eodemq; jure destruitur, quo adstructum fuit. Hæ interpretationes, quod in locis productis intelligantur 1. soli electi. 2. tantum genera hominū. 3. coetus ex Judæis & gentib. collectus, &c. in negotio fidei sine probatione dicuntur. E. frustra dicuntur, & pari felicitate, ac jure destruuntur & rejiciuntur, quo fuerunt extructæ.

87. Specialiter ad singulas, & 1. ad primam, quod Deus dilexerit omnes, non tamen omnes homines, sed credentes, & electos: 1. committi manifestum falsum; quia expressè dicitur, Deus vult omnes *HOMINES* salvos fieri; quod & Rom. 5. v. 28. docetur, justificationem à Christo in *OMNES HOMINES* pervenisse. 2. Quando particula *omnis* nudè ponitur sine additamento subjecti, tunc intelligendum est tale subjectum, quod aut per constructionem textus proximum est, & prædicato maxime congruum, aut pro naturâ & conditione prædicati omnium latissimum, juxta quem canonem ( si maxime nullus locorum haberet additum subjectum, ) homines intelligendi essent;



essent; hi enim reductionis ad gratiam appositum, imò unicū sunt subjectum.

88. Atque sic planus est textus. 1. *Tim.* 2. cui expressum subjectum non deest: *Matth.* 18. sermo est de parvulis ratione ætatis, simplicitatis & humilitatis suæ consideratis, (sic enim in exemplum statuitur Apostolis puer, v. 1. 2. 3.) quos si Deus diligit, nec in amore suo variabilis est, omnes etiam adultos diligit, omnes enim sunt, aut fuerunt pueri; idem proinde subjectum ei loco inferendum, hoc sensu: Non est voluntas coram patre meo, ut unus puerorum (consequenter hominum) pereat. 2. *Pet.* 3. differit Apostolus de adventu extremi diei, super mortales, & quidem omnes venturi. *Luc.* 21. v. 35. cumque eorum neminem velit perire eorum, qui in periculo imminentiis iudicij constituuntur, sequitur, velle Deum, neminem omnium mortalium perire. 3. Denique; si nullum eiusmodi documentum in omnibus locis reliquis extaret, unicus tamen, qui *1. Tim.* 2. legitur, cæteris sufficeret ad explicandum, quòd intelligentur non omnes electi, sed omnes homines.

89. *Ad secundam: Quòd Deus velit salvari omnia genera hominum, non autem cuncta Individua hęc generibus comprehensa.* 1. Deus vult salvari illos, qui 1. sunt aut fuerunt pueri. 2. quos dies extremus obruet, ac in illo vel salvari possunt, vel perire. Sed non genera singulorum, sed singuli generum 1. sunt aut fuerunt pueri. 2. eosdem omnes obruet extremus dies, & omnes in illo possunt vel salvari, vel perire. E. Deus singulos generum vult salvari.

90. 2. Pro quibus Apostolus Paulus jubet orare, illos idem affirmat, velle Deum salvos fieri; jubet autem orare pro singulis generum, in specie adducens ordinem magistratus, atque præcipiens, ut pro Regibus & OMNIBUS in sublimitate constitutis. *1. Tim.* 2. v. 2. (de cæteris idem censens, quando *vers. 1.* vult fieri orationes &c. pro OMNIBUS HOMINIBUS) E. Deus vult singulos generum salvos fieri.

91. *Ad tertium: quòd intelligatur cœtus ex Judæis & gentibus collectus, quamvis non diligantur omnia illius individua.* Extra dubium  
versa-



venatur, Judæos & gentes hoc amore Dei æqualiter diligere,  
quod verò cœtus ex his collectus, non autem ille totus, sed exi-  
gua solum portio, à textu planè alienum esse demonstratur:  
Quicquid 1. nullo certo documento. 2. nec probabili conjectu-  
rà cognoscitur. 3. & prorsus alienū est à genuino significato ter-  
minorum, id ad explicationem loci sacri non debet admitti.  
Interpretatio Calviniana. 1. nullo certo documento. 2. neque  
ulla probabili cōjecturâ cognoscitur, nec enim hæcenus talis  
aliqua nobis data fuit. 3. & prorsus est aliena à genuino signifi-  
catu terminorum, in textu occurrentium: illic enim leguntur,  
*omnes, omnes homines, nullus*: quod autem significant aliquos, in  
cœtu è Judæis & gentibus collecto, & quidem non unus vel al-  
ter horum terminorum sic usurpetur, sed omnes pari signifi-  
catu, id verò alienum est, nec, ut oportebat, demonstratum. E.  
interpretatio Calviniana ad explicationem horum textuum  
non debet admitti.

92. Ad quartum: quod particula, *omnis*; quandoq; non signi-  
ficet singula individua, sed indefinite aliqua: Frustrà laborare in col-  
ligenda vocum homonymiâ, qui eandem suo instituto appli-  
care non valet: Nemo dubitat, particulam, *omnis*, aliquandò  
indefinite, & non universaliter accipiendam, & germanis red-  
dendam, non *alle* / sed *allerley*; applicatio autem adversarios  
deficit, hoc est, tenentur illi evidenter monstrare, quod in lo-  
cis Dei generalem dilectionem exponentibus, vocē *omnis* non  
universaliter, sed restrictè aut indefinite accipere oporteat, hoc  
nisi præstiterint, nostra fundamenta non movebunt.

93. 2. Namque indubio, & perquam necessario inter-  
pretationis præcepto nitimur. *Unaquævis vox in sacrâ scripturâ oc-  
currens, in nativo, genuino sive grammatico, sive scripturis frequentato  
sensu, semper & perpetuò accipienda est, nisi evidens & sufficiens causa di-  
versum obtinuerit.* Ratio: aliàs nihil, non in scripturâ modò, sed in  
universa quoque linguâ, certum sensum redderet, quod vix u-  
nica vox aut phrasî dari possit, quæ non aliquando ab usu ge-  
nuini significatus recedat.

94. Applicamus axioma ad nostrum scopum. Particula,



cula, (*omnis*) suo significatu nativo & grammatico, nec non eo, quem per totam scripturam præcipuè, ac fermè unicè obtinet, notat veram atq; latissimam universalitatem. E. quotiescunq; illa legitur, totiescunq; accipienda est notare veram universalitatem, nisi evidens causa diversum obtinuerit. Cæterùm; illa in locis productis legitur. E. in his accipienda est notare veram universalitatem, donec evidens & sufficiens causa diversum obtinuerit, qualem hæctenus nullam vidimus.

95. 2. Adversus vocem *Mundus*, quam dicunt notare tantum cœtum electorum, non universam hominum collectionem. Etsi autem *mundus* aliquando sit totum creaturarum *σύνολον*, aliquando totum genus hominum, interdum impiorum multitudo, &c. hanc tamen significationem addunt reformati, quòd designet solos pios è mundo collectos; & de hoc postremo significatu accipiendum esse, quando Deus *totum mundum*, dilexisse perhibetur.

96. Et hoc frustra; Nam oportet duo probari. 1. *mundum* aliquando notare solos electos, de quo tamen nolumus multum laborare. In allegatis testimonijs scripturæ mundum significare indefinitè, aliqua individua hominum, non universaliter omnia. Sufficit nos certos esse. 1. in sermone exaggerante, latissimam, quæ haberi potest, significationem adhibendam esse, qualis non est, quæ electorum, sed quæ hominum universalitatem exprimit. 2. *TOTUM mundum*, (qui terminus in hoc negotio usurpatur. 1. *Joh. 2. v. 2.*) nusquam designare particularem cœtum electorum, sed generalem ac veram universalitatem hominum, ideò quoties in hoc religionis puncto, *mundus*, absolutè ponitur, *totum mundum*, & sub illo generalem omnium hominum complexum, intelligendum.

97. II. *Etiam eos, qui nunquam ad illum convertuntur*: *Esa. 65. v. 2.* Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. *Prov. 1. v. 24. seq.* quia vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despe-xistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoq; in interitu vestrorum idebo, &c. Rex illos invitat, & benè cupit ijs,  
E qui



qui non comparent ad nuptias, servis autem missis injurias in-  
ferunt. *Matth. 22. v. 4. 5. 6.* Qui cenam magnam instruxerat,  
multos invitavit, qui prætenu vario beneficentiæ illius semet-  
subducunt, *Luc. 14. v. 18. seq.* Neque potest negari, præter varia  
exempla, quibus plena sunt acta historiæ Evangelicæ, & Apo-  
stolicæ, etiam hodie fieri, ut Deus per ministros frequenter ad-  
modum oret, reconciliamini Deo. *2. Cor. 5. v. 20.* cum surdis fa-  
bula narretur; eos vero omnes, quotquot Deus vocari, eò quòd  
vocatio sit postulatio ad actualem perfruitionem boni, quòd  
misericordia divina omnibus vult distributum; quantumvis  
illorum aliqui nunquam convertantur, nec gratiam acceptent,  
pedibus potius conculcent. *Hebr. 10. v. 29.*

98. III. *Nec unquam suum amorem restringit;*  
probamus dupliciter 1. ab exaggeratione in hoc negotio maxi-  
mè conspicua: sic argumentantes; ubi est perpetua exaggera-  
tio amoris, illic non habet locum restrictio, foret enim con-  
tradictio: per scripturam Sacram est perpetua exaggeratio a-  
moris Dei, omnes ad salutem poscentis. E. nulla est dilectio-  
nis illius restrictio. Minorem hæc sequentia confirmant. 1. Deus  
diligit mundum. *Joh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum.* 2. Deus vult  
omnes homines salvos fieri. *1. Tim. 2. v. 4.* 3. Deus est salvator  
omnium hominum: *1. Tim. 4. v. 10.* 4. Misericordia Dei super om-  
nem carnem. *Syr. 18. v. 13.* 5. Misericordia Dei super omnes  
creaturas. *Marci 16. v. 16. predicare Evangelium omni creatura.* 6. Mi-  
sericordia Dei tanta est, quantus ipse. *Syr. 2. v. 13.*

99. 2. à negatione omnis limitationis, quæ non apparet us-  
quam: Neq; officiunt restrictiones divini amoris, quòd is sin-  
gulariter complectatur electos, fideles, Christo per fidem in-  
sertos, æternumque salvandos; Negatur enim consequentia  
procedens ab uno gradu dilectionis ad alterum; cum enim a-  
lius prorsus sit dilectionis gradus, quo Deus omnes salvos fieri  
vult, & quo electos reipsa salvos facit; alia dilectio regis, quæ  
hospites invitavit (sub qua comprehendebantur, qui postmo-  
dum misso exercitu, trucidabantur. *Matth. 22. v. 4. 7.* etiam ille,  
qui veste nuptiali destituebatur, v. 11. summa, boni & mali v.  
10.) alia



no.) alia ejusdem regis dilectio, qua hospitibus comparentibus dabat actu frui epulis regijs (ab ea excludebantur, prius clemente affectu invitati, etiam is qui veste nuptiali carebat, summa, omnes, præter verè bonos) certè nemo dicet, posteriorem voluntatem regis fuisse restrictionem prioris quasi primùm vocans hospites, non plures dilexerit, quàm postea diligebat pœnas reddens contemtoribus ingratis, scil. non transfertur restrictio ab uno gradu ad alterum, sive: dilectio unius gradus non potest restringere dilectionem alius gradus. Similiter enim secuturum esset, Christum dilexisse non nisi duos homines, Lazarum & Johannem Apostolum, qui duo soli hoc nomine celebrantur, quòd Jesus eos dilexerit: sequela autè cadit propter commixtionem distinctorum modorum, atq; graduum dilectionis Christi, quâ sublatâ, cessat omnis restrictio dilectionis illius generalis, quæ nunc nobis in quæstione versatur. 2. Unius inclusio non est alterius exclusio; quamvis itaq; legamus, electos esse Deo dilectos, oves dilectas, &c. quia tamen nusquam exclusiva additur, *solus, oves, solos electos, &c.* diligi, non minus restrictus est generalis amor, atque particularis facta & brutis denegata visiva facultas, si dicam, homines sensu visus præditos.

100. IV. *Omnes conclusit sub peccatum.* Obtinetur hoc suprâ citato loco, Rom. 11. v. 32. *Conclusit Deus omnia in incredulitatem, alijsq; pluribus.* Gal. 3. v. 22. *Conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Et quia legis observatio omni carni impossibilis est, Rom. 8. v. 3. transgressio autem legis maledictionem meretur, Deut. 27. v. 26. porrò nemo purus est, Prov. 20. v. 9. nemo justus Eccl. 7. v. 21. omnes peccatores. Rom. 3. v. 23. Judæi & gentes omnes sunt sub peccato. v. 9. infallibiliter concluditur, omnes homines sub peccatum conclusos: Sed de hoc inter nos & reformatos nihil hæret litis, ut operosâ probatione non sit opus.

101. V. *Ex sua parte non patitur quicquam ad nostram salutem faciens, desiderari.* Et hoc caret dubio; demonstratur tamen, i. quia Deus enumerans, quanta bona, in



Ecclesiam Judaicam contulerit, ad ipsosmet Israëlitas provocat, etiamne quicquam ultra faciendum fuerit, quod ipse non fecerit; nunc ergo (inquit) *habitatores Jerusalem, & viri juda, judicate inter me, & vineam meam, quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Esa. 5. v. 3. 4. 2. quia damnationis culpam totaliter à se removet, & in homines unicè transfert, quod facere haudquaquam posset, si ex sua parte aliquid ad nostram salutem faciens, pateretur desiderari. 3. quia parabola Regis, nuptias filio facientis, & hominis cœnam instruentis expressè ostendunt, nihil quicquam defuisse ex parte vocantium, quò minus vocati omnes, nullo excepto, bonis paratis fruerentur; nisi verò hoc idem de Deo patrefamiliàs, & rege, diceretur, parabola non possent accommodari negotio, cujus declarandi causâ fuerant adductæ.

102. VI. *Omnibus mitit filium redemptorẽ.* Peculiaris est operæ hoc thema fusius demonstrare; sufficiat nunc veritatem ejus paucis indicasse; quod fieri potest hoc syllogismo: Si Deus omnibus promisit filium. 2. omnibus misit. 3. omnium peccata filio imposuit. 4. omnes per filium reconciliat. 5. omnes ad perceptionem beneficiorum Christi morte partorum invitat. 6. omnibus gratiam Christi obsignat. 7. judicium & pœnam dicitat omnibus in ipsum non credentibus, sequitur, Deum, omnibus misisse filium redemptorem.

103. Atqui, prius verum est. 1. *Deus omnibus hominibus filium promisit;* qui in Adamo ceciderunt: Gen. 3. v. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis;* qui sub generali complexu omnium natiouum terræ comprehenduntur. Gen. 12. v. 3. *in semine tuo benedicentur omnes nationes terræ.* 2. *omnibus filium misit.* Rom 8. v. 32. *Deus proprium filium pro omnibus tradidit;* quicunq; sunt in mundo. 1. Joh. 4. v. 14. *Pater misit filium, ut esset salvator mundi;* quicunque sub lege erant. Gal. 4. v. 4. *qui peccato captivi.* Esa. 61. v. 1. 3. *Omnium peccata filio imposuit,* Esa. 53. v. 6. *Deus coniecit in illum iniquitates omnium nostrum.* Joh. 1. v. 29. *agnus Dei tollit peccata mundi.* 4. *omnes per filium reconciliat.* 2. Cor. 5. v. 19. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Col. 1. v. 20. *reconciliavit sibi omnia,*  
pacific-



pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terra, sive quæ in coelis sunt. 5. Omnes ad perceptionem beneficiorum Christi morte partorum invitat. Marc. 16. v. 15. *predicite Evangelium omni creatura.* Matth. 28. v. 19. *docete omnes gentes.* 6. Omnibus gratiam Christi obsignat, quatenus omnibus Baptismum offert. Matth. 28. v. 19. *baptizate omnes gentes;* quotquot autem baptizantur, Christum induunt. Gal. 3. v. 27. 7. Judicium & pœnam dicitur omnibus in ipsum non credentibus. Joh. 16. v. 8. *Spiritus S. arguet mundum de peccato, quia non credunt in me,* cap. 3. v. 18. *qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei.* E. sequitur, Deum omnibus misisse, filium redemptorem.

104. VII. *Vocat omnes ad regnum filij sui, & æternam salutem.* Obtinemus hoc gemino argumento. 1. Quibus Deus jubet prædicari Evangelium, eos vocat ad regnum filij sui, & salutem æternam. (Non obstat exceptio, hoc fieri voluntate revelatâ, non autem occultâ, &c: id enim commentum removimus, & Deum à crimine tam abominandæ hypocrisis supra vindicavimus;) Deus omnes homines vocat ad regnum filij sui, & salutem æternam: Act. 17. v. 30. *nunc annunciat Deus hominibus, ut omnes ubiq; pœnitentiam agant.* Col. 1. v. 28. *annunciamus Christum, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.* &c: E. vocat Deus omnes ad regnum filij sui, & æternam salutem.

105. 2. Si Deus vocat sine discrimine bonos & malos, vocationem sequentes, & contemnentes, fideles & incredulos, sequitur, eum vocare omnes homines; Ratio est: 1. his duabus classibus continetur totum humanum genus. 2. quod vocet electos, est extra dubium, si reproborum aliquos, causa non est, cur non & reproborum cœteros, adeoque omnes homines. Vocat autem sine discrimine bonos & malos, &c. quod enim vocet bonos, nemo dubitat: quod improbos, & malos contemtores, probant parabolæ, quarum mentio jam fuit facta. Matth. 22. & Luc. 14. descriptæ. E. sequitur, Deum vocare omnes homines.




106. VIII. Ideò damnandos judicat, quia non crediderunt. Sufficit expressa sententia Christi; qui non credit, jam judicatus est *QUIA non credit*, Johan. 3. v. 18. & cap. 16. v. 8. Spiritus Sanctus arguet mundum, *QUIA non credunt in me*: atque hinc exasperabitur condemnatio, quia semel agnitam veritatem rursus deseruerunt 2. Pet. 2. v. 20. 21. Ulteriorem probationem in re plana, supervacaneam ducimus.

107. IX. Nec fundamentum fidei salvificæ evertit. Quia 1. Deus nō est causa nostræ damnationis. 2. nec per ipsum stat, quin omnes mortales salventur. 3. ipse fidei nostræ fundamentum, autor, & consummator 1. Cor. 3. v. 11. Phil. 2. v. 13 Heb. 12. v. 2. Esset autem causa damnationis, & per ipsum staret, quò minus omnes salvarentur, vicissim non esset fidei fundamentum, autor, & consummator, si ipsemet salvificæ fidei (sine qua nemo salvatur) fundamentum integrum non poneret, aut extructum rursus everteret.

*Ergò voluntas Dei circa salutem hominum est univ<sup>er</sup>-salis.*

## Deo Soli Gloria.





05 A 1717

ULB Halle

3

003 786 226




1717 041











DEMONSTRATIO  
THEOLOGICA,  
QUOD DEUS SE-  
RIO VELIT OMNES  
HOMINES SALVOS

FIERI,

*Adjuvante DIVINA GRATIA,*

in Academia WITTEBERGENSI

*ad publicam disputationem*

*proposita,*

NICOLAO HUNNIO,

SS. THEOL. D. ET P.P.

*Respondente*

M. JOHANNÉ MICHAELIS  
WITTEBERGENSI,

*Ad diem 27. Decembris, in Auditoria majore, horis*

*matutinis.*

WITTEBERGÆ,

*Exscripta typis* CHRISTIANI THAM,

ANNO M DC XII